



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia
à S.P.N. Francisco institutus**

Pauck, Engelbert

Coloniae, 1720

Num. 4. Fit mentio de via S. Crucis Romæ erecta in Ara Cæli, & de
Confraternitate decem Beneplacitorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

dulgentiam plenariam, novissimè à Ss. D. N. *Innocentio XII.* in Brevi: *Ad ea.* Benignè concessam, quæ Ordinatio in non exiguum cedit animarum profectum: si ubique terrarum à Nostratibus praxi mandetur. Vide Rubr. Part. Brev. Franc. Romæ ac Venetiis editi 1710. à n. 177. ad finem.

IV. **A**D hujus porro Summi Pontificis *Innocentii XII.* exhortatoriam dispositionem RRmi Superiores FF. Min. de Obs. in Ecclesia Capitoli Ara-Cœli, sive ad S. Mariam in Ara-Cœli, de Urbe: Exercitium Viæ Sacræ canonicè erexerunt, praxin & methodum typis Romæ editam de modo servando in ejusmodi Via S. Crucis, summo in terris Christi Vicario, Ecclesiam Dei difficillimis temporibus actu feliciter regenti *Clementi XI.* dedicaverunt; adeo, ut cum totius Urbis maximo confluxu singulis Dominicis, & festis post vespèras, & in Quadragesima, singulis diebus, devotissimè frequententur hæ dolorosæ stationes. Sub quo titulo (*Via Crucis*) erecta quoque est *Confraternitas X. Beneplacitorum, seu Virtutum B. M. Virginis in Jerusalem.*

V. **C**ùm ergo juxta Capitula Generalia, eorùmque Ordinationes, inter plurima (quæ pro stabiliendo ac conservando communi familiæ Seraphicæ bono, ac primordiali decore, & splendore necessaria sunt) illud non postremum, sed potiùs principale æstimari debeat; ut notitia statûs Tertii Ordinis, Archi-Confraternitas Chordæ S. FRANCISCI, Via Sacra S. Crucis, solidissimis fundamentis, documentis, instructionibus, & exemplaribus S. Sedis Apostolicæ auctoritate munitis, post tot dubia (ab æmulis, seu parum peritis) excitata, de novo semper resplendat, & elucescat;

Ideo hunc librum in Urbe Roma, ex auctoribus approbatis selectum composui, à Patronis Sæcularibus, & Confratribus meis multum rogatus, à Superioribus meis ad hoc persæpe exstimulatus. In quo summarè simul expono modum incumbendi spiritualibus devotionibus, inter nostrates Romæ receptis; subnectendo approbationes verè Apostolicas, & authenticas Trium Ordinum S. P. FRANCISCI. Et Archi-Confraternitatis Chordæ, nec non Indulgentias pro Sæcularibus concessas adnotando: ne Spiritus Cavillationis inordinatæ, aut æmulationis injustæ (quo mundani sapientes, & Zoili quandoque plùs justò abundant) vel etiam ignorantia gratiarum, nos à similibus exercitiis, vel operibus piis abstrahant, avocentque!

Vale Lector
&
fave

CAPUT